

VIET-CHI POST No XXXI

Kal. Iun. MMIX

www.vovietjournal.org

vovietmailbox@vovietjournal.org

Epistula CCCIV

MOTUS SON-THAN KHAI-QUAN

(*ineditum*)

Ut studia
exerces, ita
vitam vivis.

“DISCERE PER VITAM”

Magistri Phan-Hoang epistularum series

VIET-CHI POST No 304

ORIGINAL IN ENGLISH by Phan-Hoang

LATINE TRANSLATION by Daniela Mazzon

Epistula CCCIV

DE TERTIO MOTU:

SON-THAN KHAI-QUAN/ MONTIS CUSTOS

1. **De parte ad corpus pertinente-** SON-THAN KHAI-QUAN motus immobilem stationis gradum retinet. Corpus quoque immobile est. Brachia tantum leviter moventur in respiratu aspiratuque. Oculi semiclausi sunt. (Vide imaginem photographiam KHAI-QUAN n. 3).

De parte ad naturae rationem pertinente- Hic motus interioris partis corporis exercitatio est – Vietnamitice nominata *Luc phu ngu tang is* – i.e. *universi corporis membra et ordines*. Hoc, respiratione *tho voninra* et diuturnis exercitiis interiorum corporis partium (*van noi-cong chi-luc*), obtinebis. (v. *infra*)

2. **De parte ad respirationem pertinente-** *Tho voninra* definita spirandi ratio est, in tribus partibus divisa :

a. Spiritum naribus ducito, una cum amplis pectoris motibus. Dum spiritum ducis, brachia ad interiora lente moveto. Totum corpus, crura, brachia, pugnus, laxato.

b. Aequo spiritum retineto. Interea, omnes corporis musculos, crurum, brachiorum, pugnorum, fortiter contrahito.

c. Spiritum ore edito, una cum valenti *dan-dien* (ventris) et pulmonum compressione. Muscoli, crura, brachia, pugni constanter contracti sint, usque ad respiratum.

Haec spirandi ratio, quae totum corpus implicat, *interiorum corporis partium valens exercitatio* nominatur (*van noi-cong chi-luc*).

Exerceas motum SON-THAN KHAI-QUAN novies; deinde quiescas, antequam

exercitationem renoves.

3. **De interiore vi et vitalibus punctis** – De interiore vi (noi-khi), motui SON-THAN KHAI QUAN duo principalia officia sunt: adiuvere sanguinis et interioris roboris cursum. Praetera, ea alacris exercitatio Conceptionis et Gubernatoris Vasorum est.

Vitalia puncta:

-*Conceptionis Vasus*: V1 (hoi-am), V6 (khi-hai), V24 (thua-tuong)

-*Gubernator Vasus*: VG26 (nhan-trung), VG20 (ba-hoi), et VG4 (menh-mon)

4. **De mente cogitationeque**: Morbi, ut cancer, totius corporis turbationes sequuntur. ut putamus. Saepe constans voluntas mentem, ut corporis firmitatem reficiat et nos sanos faciat, adiuvat. Haec exercitatio cerebrum, mentem, corpus ad eorum officia revocat; interiorem vim excolit.

Cum motum SON-THAN KHAI-QUAN facis, considerationem intendito in corpus mentemque; ne aliena egeris! Dum spiritum ducis, animadvertes te laetum esse, corpus sanum. Dum spiritum edis, cerebrum imperabit corpus omnes scorias excutere.

5. **De figuratione**- SON-THAN/ Montis custos Praesidii, Vigoris, Quietis imago est.
De habitu- Fortis, Laetus, Plenus spei sis.

SON-THAN KHAI-QUAN Chi-luc et Noi-cong/ Interiorem Vim Potentiamque auget. Una inter octo artes disciplinae “Son-Than Bat The” est. Exercitationis “Son-Than Bat The” ortum in Tam-Su familia (Trium Magistrum Schola) fuisse putamus, sub potestate magistri Nguyen-Minh-Khong, undecimo saeculo natus, regnante LY-Nhan-Tong (1072-1127). Ut legimus in LINH NAM CHICH QUAI/*Terrae australis index* (i.e.Vietnam). *Rerum singularium memoria* (anno 1492 scriptus a Vu-Quynh et Kieu-Phu), magister Nguyen-Minh-Khong monachus Buddhista sacelli Quoc-Thanh in Dai-Hoang regione (prope Hanoi) fuit, discipulus magistri Tu-Dao-Hanh.

SON-THAN KHAI-QUAN densa vox est, difficilis interpretatu a vulgo. SON: mons; THAN: custos, angelus, deitas, vel deus.

KHAI = patefactus; QUAN = ianua, cancelli.

SON-THAN Latine *Montis Custos*, vel *Montis deitas*, *Montis deus* dicitur. Hic verum, SON-THAN indicat TAN-VIEN SON-THAN, claram deitatem inter clarissimas Vietnamitici Shintoismi (Than Thanh Viet). Ex communi sensu Vietnamicae nationis, in summo monte, cui nomen TAN-VIEN est (circiter 60km a Hanoi abest, inter septentrionem et occasum solem), regnavit ut populum suum defenderet. TAN-VIEN Mons et BA-VI Mons appellatur. Anno 1947, puer undecim annos natus, in monte TAN-VIEN, tam amoeno quam periculoso –cum tigrides et serpentes per eum errarent- brevi tempore fui. Epistulam de hac re scripturus sum.

SON-THAN KHAI-QUAN vox significat “*Montis custodem suos concellos patefacere*”

et sinere ut montis secreta exploremus”, aliter, “Montis custodis praecepta nos adiuuare ut cancellos aperiamus”. De acupunctura, khai-quan et vitalia puncta stimulare significat, igitur SON-THAN KHAI-QUAN explicaveris “Montis Custodis interiorem exercitationem ad roboris cursum stimulandum per corporis vitalia puncta”.

Cur in plures sententias traho? Quod mea ratio docendi unam partem non habet. **J**
Valete.

Phan-Hoang, Vere MMIX

TERTIUS MOTUS

